

De hac altaris participatione
filij tu corporis et sanguinis
spiritus q̄ib⁹ dicitur celesti
predicationis vocatione dicim⁹
Mostea de tua misericordia nos pietate
pro fidei et fratuitate in sonno vobis
p̄sis dñe et omnibus in christo quiescerem⁹
vobis ac vobis ne dilatetur
obligatio de tua misericordia
et fratuitate in sonno futuram
et mortalem et mortalem mortale dñe
progenitis at mortali⁹
hunc te doceamus. o athia. benigne.


60. f. Bd.

D₉

+



9.



AD ILLVSTRISSIMVM POTEN-
tissimumq; Principem ac Dominum

DN. IOACHIMVM
FRIDERICVM

MARCHIONEM BRANDEBVRGENSEM S. IMP.
R, Archicamerarium & Electorem, Borussiae, Stetinensem, Pomera-
norum, Cassubiorum, Vandalorum & Crostie in Silesia Ducem,
Burggrauium Norinbergensem, Principem Rugie
& Dominum suum clementissimum,

FRANCOFVR TVM

*Ingredientem, ut solenni more fidelitatis
iuramento sibi ciues obstringeret,*

GRATVLATIO

Balthas. Caminæi I. V. D.

& Prof. P. P.

M. D.



XCVIII.

- Exudebat Fridericus Hartmannus typographus & bibliopolus.

Ad Illustriss. & potentiss.

Principem ac Dn.

DN. IOACH. FRI-
DERICVM MAR

chionem Brandenburg. S.I.R.

Archicamerarium &

Electorem, &c.

GRATVLATIO
BALTH. CAMINÆI.



Vi ad prin-
cipem priuatus ver-
ba facere coram
vel scripto ani-
mum induxit, ma-
goa illum cura eniti-
debere, ne ullam in
partem vel importunè, vel insolenter, vel
abiectè, vel nimis blandè in eo se gerat, ex-

A 2 tra

tra omnem apud intelligentes est controveriam: maxime si iniussus hoc faciat, & sibi ipsi hunc a nicipitis aleæ laborem impo fuerit. Evidet ut vt sponte me huic accinxì operi, ita si rationis me secutum dicam imperium, non insulse opinor faciam, cum illius iussum detre etare æque graue sit homini modesto, quam vel principis mandatum negligere, vel quod tacita omnium à te flagitet expectatio, subterfugere.

Quam verò muneri huic parsim futurus, non recipio: arrogantis enim foret; nec despero tamen, animatus non tam præsumptione aliqua doctrinæ, aut eloquentiæ, cuius exigua in me supelle etilem, agnosco, quam consideratione officijs, quod deserere viro bono non licet, & fiducia virtutum eius, ad quem dirigenda mihi est oratio. Expectari namque à principibus subditorum gratulationes, non postulari solent: quas qui debitas vltro non offerat, agrestis habeatur non iniuria, & à culpa penitus lese vindicare nequeat. Et quid mirum, si eius honoris

honori studeamus etiam iniussi ; qui
vltrò commodis nostris consultum ves-
nit , nihil in omni vita prius antiquiusve
habiturus , quam vt patriam dulcisimam
maximarum difficultatum laqueis expedi-
tam , omnibus bonis abundantem floren-
temque reddat . Ades enim Marchio illu-
strissime Princeps & Elector clementissime
Dn. IOACHIME FRIDERICE , ut exem-
pto rebus humanis Celsit . tuæ illustrissimo
parente & Domino , Dn. IOANNE GE-
ORGIO , Marchione & Electore Brande-
burgico , sene venerando & plus quam se-
ptuagenario , cuius anima cum pijs omni-
bus in perpetua sit benedictione , ades in-
quam , vt debitum à natura , destinatum ab
imperio , traditum à patre illustrissimo gu-
bernationis clauū animo hæredis suscipias ,
paterno moderere , regio teneas ; & subdito
rum tuorum , quorum saluti recte te natum
existimas fidem , vti in alijs Marchiæ ciuita-
tibus , ita in hoc quoque vetusto sapientiæ
& mercium aliarum emporio , FRANCO-

A 3

FVRTO

FVR TO à Viadri appulſu nobili, ſolenni
tibi ritu obſtringas. In quo incredibile eſt,
quam vna nimis ſit omnium ordinum con-
ſensus, quam omnes Celsitud. tuæ non pe-
dibus ſolum & corpore, ſed animis votisq;
ardentibus obuiam eant, venientem ex ci-
piant, manibus oculisque praefentem ferre
geſtiant. Adſunt ab una parte Academiæ
huius inclytæ antiftites, & publica Rectoris
voce, animis ſubiectiſſimis una mecum
felicem exoptant gubernationi huic
nouæ ſucceſſum, in columitatem Celsitud.
tuæ diuturnam precantur, fidem, quam
ſuo quisque loco haſtenus praſtitit & debet,
prolixe recipiunt: Academiam denique
eiusq; incrementum beneficentiaſ tuæ com-
mendant. Ab altera parte reipubl. orator
verba faciens, falces huius urbis paternæ tuæ
clementiaſ ſubmittit, aras focosque & ci-
uium omnium ſalutem, vitam ac fortunas
in ſinum clementiaſ tuæ deponit: Senato-
res ipſi in conceptas iurant formulæ, ſubſe-
quatur acclamatione prompta vniuerſus
populus. Quid ni enim ad eius ſeſe nutum

Iumma

summa voluntate componat, cuius non so-
lum ex vultu, gestuq; corporis bonitas spi-
rat & clementia, sed cuius facta, adeoque
vita vniuersa nil nisi mansuetudinem regiā,
& indefessum bene de suis merendis studium
loquuntur? Non rem extollo verbis, qui
foco nihil peius oderim, & assentationem
viro bono indignam esse intelligam. Quin
immò in hoc ipso gratulandi partes consi-
stunt, vt eius cui hoc officij genere probare
nos cupimus, virtutes amplectamur, easque
cum quadam affectus benevoli contestatio-
ne prædicemus. Et res ipsa est in medio,
Principem enim Numinis ter maximi be-
nignitate nacti sumus, non puerum aut
adolescentem, qui ipse se se ab affectuum
nondum vindicauerit imperio, sed virum,
maturæ ætatis, iudicij recti, animi constan-
tis, siue religionis incorruptæ conserua-
tionem, siue iuris æqui perpetuam distribu-
tionem respicias. Huius non sperare indo-
lem, sed cernere frugē, non expectare ma-
turitatem, sed præsentem experiri virtutē,
& actionum.

& actionum principe dignarum metere
licet segetem. Intelligit enim principis esse,
non in affluentia illa rerum omnium, otio
sele molli dedere, aut ea curare, quæ in præ
sentia suavia sunt, sed in negotio esse, h. e.
pietati, virtuti & ijs rebus studere, quæ suba
ditos quam optimos & beatissimos effi
ciunt. Altè namq; animo insculpsit illud
à M. Tullio ex quarto de republ. relatum:
Ut gubernatori cursus secundus, medico sa
lus, imperatori victoria; sic moderatori
reipubl. beatam ciuium vitam propositam
esse debere. Neque hoc solum nouit, sed
& alterum tenet, quo videlicet pacto hunc
finem consequi liceat, idque ex eodem pe
titum fonte. Fundamentum namque fe
licitatis humanæ in eo positum est, ut omnes
omnium ordinum homines virtuti & præ
claris factis studeant, neque quidquam o
mnium in animum inducant, aut opere des
signent, quod vel ab honestatis norma alie
num sit, cuiusue probabilem rationem cum
alijs censoribus seueris, tum conscientiæ
ipſi

turpiter deformem olim depinxere & sano
posteritatis iudicio detestandum poetæ ob-
iecere. Nulla autem veritatis, imo ipso-
rum quoque regum, (hoc enim nomine
etiam principes à priscis appellabantur) pe-
stis est capitalior, quam illa delatorum adu-
latorumque turba, quæ se mentito relato-
rum nomine ubique tamen venditat. Hos
enim in errorem & saepe etiam dedecus
innocentes inducunt, illi vim non minus
faciunt, quam suæ ipsius conscientiæ. Itaq;
recte Fridericus Rom. Imperator cum in re
ardua consiliarios suos in senatū vocasset,
optabat, ut duas res in vestibulo curiæ de-
ponerent: Simulationem videlicet & dissi-
mulationem; sic enim illos recte iudica-
turos, & sibi quoque omnia in decernendo
magis fore facilia. Omnino enim nisiconsi-
liarij & relatores illi docti, intelligentes, viri
boni, & juris quoque periti sint, facile cau-
sam exulcerant, siue præiudicijs ex gratia &
otio conceptis, siue muneribus, quæ & sa-
pientum oculos excœcare solent, occupati.

C

Namque

Namque in quam ipsi propendunt par-
tem, in eandem principem quoque,
melleo isto quem Diogenes dicere so-
lebat laqueo, blanditijs videlicet vna secū
pertrahunt. Id quod tamen non ita facile
euenire illi potest, qui Apollonij præceptum
obseruans, paucis omnino credat & non
solum quos vel in senatum legat, vel in in-
teriorum consuetudinem admittat, etiam
atque etiam videt: sed & ex interuallo cau-
fas ipse cognoscit, discernit, iudicat.
Sed duras tu mihi, dicat quis, conditiones
principis narras. Sane quidem: sed salu-
tares subditis, sed honorificas ipsi, & quæ
æterna illum non solum prædicatione ma-
tent, sed & animo ipsius tranquillitatem,
quæ officij functionem semper consequis-
tur, & felicitatem publicam largiantur. Ut
enim in anarchia, ubi non ex præscripto
legum, sed iudicantis affectu & libidine ius
redditur, omnia aduersa contingere ne-
cessere est: Ita vicissim, ubi Eunomie illa
sancta

sancta regnum tenet, & princeps ipse ius
æquum singulis tribuit, omnia publicè pri-
uacimque feliciter cedere, pacem vigere,
disciplinam coli, magistratum in pretio
esse, & ita obseruari videas, ut pro eius sa-
lute vitam & sanguinem impendere nemo
dubitetur. Neque tamen publicis istis
curis ita sese conficiet, vt vires valetudis
nemque omnem prosternat: Eo namque
pacto se sibi, suis, pat iæque subito iterum
subtrahat: sed & horum præcipuam ra-
tionem sibi habendam esse putabit, & vt
diu & stabiliter possit, illam minime o-
mnium negliget: Idque hoc magis, quo
se viribus minus firmis, & morbis magis
obnoxium esse senserit. Etenim nau-
clerus non ita sese naui continet, vt clas-
uo semper hærens, nunquam ex ea de-
scendat: Sed quamuis corpore eam de-
serat, non tamen animo relinquit: quin
potius siue in naui, siue alibi est, illo
eam circumfert, casus omnes metuit,
horum auertendorum causa vicarium

C 2

loci

loco suo relinquit; denique vota pro eius sa-
lute crebra concipit, & in tranquillitate
quoque ea prospicit, curat, & parat, quæ
vñi in tempestate esse possint. Sic neque
princeps sedentariam perpetuo vitam agit,
sed vbi laborum curarumque pertæsum est,
venationibus, iudis equestricis, & alijs cor-
poris exercitijs persona ipsius dignis ani-
mum recreat. Neque sic omnem reipub.
curam abiecisse videri potest: qui etiam
dum velequo vel curru hæret, & auia syl-
uarum lustrat, dispicit ac meditatur, quæ
ad eam tutandam augendamq; pertinent,
Perpetuo enim recordatur, se principem
esse, populorum, vt Homerus loquitur, pa-
storem: cuius appellationis quæ vis sit, ob-
scrum esse non potest consideranti, ad sa-
lutem gregis omnia à pastoribus, qui qui-
dem fideles sint, referri solere. Quæ fu-
gere tuam Princeps & Elector illustrissime
Celsitudin. non possunt, quam non solum
regius languis, & generosa heroicæ naturæ
semina, sed & majorum illustria exempla &
præ

præclara ab ultima usq; adolescētia institu-
tio ad optima quæque dicit. Quid namque
omnium, quæ ad muneric regij partes per-
tinent, non sedulo olim inculcarit, fidus ille
Chiron, qui adolescentiæ tuæ formator ex-
titit, viri vndiquaque doctus, eloquens,
& quod familiam dicit, optimus, Dn. M.
THOMAS Hubnerus, de quo hoc nunc di-
cam parcus, quod qua est modestia, etiam
modicè sibi tributam laudē non agnoscat,
nedum palpum sibi à quiquam obtrudi
postulet. Sed tamen fibras eicordis inti-
mas salire non est dubiū, quoties tam egre-
gium disciplinæ suæ alumnum in summo
potentiae ac dignitatis fastigio constitutum,
& populorum hæreditariorum gubernatio-
nem ingenti sua cum laude & subditorum
salute administrare cernit. Non minus e-
nim te Marchiæ, patriæ dulcissimæ consul-
turum omnes confidunt, quam eorum po-
pulorum commoda animo complexus es,
quibus initio virtus te tua, quando Primas
Germaniæ designatus es, præfecit.

C 3 Prauenit

Præuenit enim aduentum ad nos tuum
pernix illa dina, præclara omnia de paterno
tuo in omnes Marchiæ ciuitates affectu,
tum verò singulari cupiditate in eripienda
ex profundo difficultatum barathro, vrbe
Francofurto, nuncians. In quo quidem
mirificè conuenit Celsitud. tuæ cum Illus-
trissimo, & beatæ recordationis, socero
tuo, Marchione IOANNE, heroe lau-
datissimo & à virtutibus eximijs sapientis
& seueri nomen adepto. Qui si vixisset,
siue potius viuentis egregios & magnificos
conatus non turbator aliquis evertisset ge-
nius, ambitionum & sui magis quam pu-
blici boni studiosorum hominum in hoc
abusus opera, nulli illa hodie ciuitatū Ger-
maniæ, siue amplitudinem oppidi, siue æ-
dificiorum splendorem, & ciuium opes re-
spicias, esset inferior. Etenim quibus
ciuitatem ornatam esse bonis oportet, ijs à
natura ipsa abunde ei prospectum esse, ne-
gari non potest. Nec enim quis cœli hic de-
sideret clementiam, vt pote quæ nullius vn-
quam

quam valetudini, nisi quis sua se perditum
eat intemperantia, grauis fuisse depre-
hensa sit. Neque verò, quod Vlysses de sua
questus fuit patria, a sperā, saxosanue quis
eam dixerit, cuius valles vel pratorum irri-
guorū iucunda amoenitate nitent, vel pingui
frugum vbertate luxuriant, colles vitib, den-
sis & omnis generis arborum fructiferarum
copia vndiquaque consistæ, ita umbram se-
cessumq; perentibus accommodati sunt, vt
fingi hominis ingenio melius nequeant:
neq; mirum sit, hunc tam elegantem & per-
quam amœnūm locum Mulas Gratiasq; que
præ ceteris sibi delegit. Auget luculentam
& floridam hanc loci faciē allabens Oderæ
alveus, tantam Dei benignitate cancrorum
& pisciū omnis generis copiā de se largiēs,
quantam vix alijs in tota Ger, fluius: idem
commeatui & alijs reb. exportandis & im-
portandis ita accommodatus, vt non solum
ligna, trabes, asseres, & alia ex Lusatia &
vicinis locis copiosē ad urbem deferat, sed
& nauibus, quasuis alias merces ultra
Stetinum

Stetinum secundo flumine in mare Balti-
cum ducat; nisi quibus à natura ipsa ges-
minæ illæ quondam sorores, donatæ sunt
commodis, semetipsas quod fit, priuare,
quam mutuo iuuare ac fouere malint. Nec
enim ignotum est, ab aliquot annis cum
publico vtriusque & priuatorum damno
haud exiguo, Francofurtenses libero in ma-
re transitu, quod tamen iure gentium o-
mnibus patere debet, & peculiari ipsis pri-
uilegiis temporibus VVoldemari Marchio-
nis Brandenburgici, ab Ottone duce Po-
meraniæ, ante annos 287 in perpetuum ad-
apertum est, prohiberi. Quam qui litem
bonus malam tollat, & Aten illam discor-
dijs & incommodis mortalium gaudentem
ultra Garamantas & Indos releget, optime
de illis mereatur, & pristino eas flori ac ni-
tori restituat. Quod ipsum vtriusque po-
puli principibus inclytis in tanta illorum
concordia, & arctissimo necessitudinis
vinculo facile est, præsertim inclinati nunc
codem ciuium animis: quos vel nunquam
diuulos,

ipſi, iudici quoq; Areopagita magis incorrupto reddere nequeant. Cuius felicitatis qui suis auctor sit, & de recta educatione, quæ vna & certa ad virtutem via est, ipſis prospiciat, ille non solum principis, sed patris quoque nomen iure optimo mereatur; cuius videlicet & animum gerit & officiū. Nihil namq; parentes, qui quidem sapiunt, magis sollicitè curant, meditantur & agūt, quam vt ex ſeſe genitos literarum & virtutis cultu quam ſapientiſſimos & optimos reddant: vt non iniuria ſibi Philippus Macedoniarum rex gratulatus ſit, eo ſeſe tempore filium uicepiffe, quo Aristotelis institutione perfrui poſſit. Quod ſi iam omnium ordinum, in id conſentiant animi, & in eis ſint ſinguli, vt virtute omnia metiantur, & ſine hac vitam ſibi acerbam putent, neque alterum illud deelle potest, itidem à Tullio decantatum, vt ciuitas gloria ampla ſit. Hæc enim virtutis præmium eſt, & comes eius indiuidua, quæ etiam non petentes ſequitur, non ſecus ut umbra corpus ſolet:

B Idque

Idque perpetuo & constanter. Exempla
sunt in promptu. Et quid vniuersa aliud
est historia, quam perpetua recte factorum
commendatio? Viuit (vt de alijs nunc geno-
tibus non dicam) vigetque, & quoad literae
& publica salua erunt, vigebit Saxonum
priscorum animosa & mascula illa constan-
tia, fortitudo & integritas: cui exteræ na-
tiones & reges etiamnum tantum tribuunt,
vt quod corpori contra vim & repentinis
insultus tutando alunt satellitum, non nisi
ex illa gente constare velint. Neque verò
tantum vt dictum est, virtutem gloria mu-
nerat: Sed & optimis quibusque animis
acres subdit stimulus, vt non pecudū more
silentio vitam transfigere, aut in postremis
esse, sed ipsi quoque præstare sese præce-
ris cupiant. Ex quo deinde hoc boni vel
sponte sequitur, vt præstantium in omni
genere virorum nulla existat penuria; sed in
promptu sint, quorum opera pace belloque
patria uti cum optimo publico queat. Hoc
enim

enim ni fallor est locupletem esse copijs
rempublicam. Quamuis vbi copiosa
egregiorum virorum seges est, nihil eorum
defieri possit, quibus velut nervis ad res ge-
rendas opus est. Præstantes enim &
industrij, quos Græci vno verbo ~~πολιτείαν~~ di-
cebant, in otio non sunt, ignauo scilicet, sed
semper agunt, cogitant, procurant, & ma-
chinantur aliquid, quo & rem suam hone-
sté augeant, & patriam iuuent, ornent &
amplifcent publicum ciuitatis bonum: vt
rectè ab AEschylo prolatum sit, fortissi-
mum esse, vbi viri sunt, propugnaculum.
Namque cum his omnia prona sint, pare-
antque, vtrumque euenit, & vt ciuibus
præclaris abundet patria, & opibus
quoque firma sit, nihilque eorum de-
sideret, quæ ad usus vitæ necessarios re-
quiruntur. Etenim quæ ipsorum virtus
est, nec ipsi sese suosque negligent, nec
ærarium publicum egere patientur,

Bz sed

séd quod quisque potest polletque in me-
dium conferet, vt quæ possessione priuato-
rum erant, necessitate postulante, vñ suā fiant
publica, & secunda ipsorum voluntate de-
fensioni religionis, libertatis, & vitæ singulo-
rū seruant. Verūm hæc fusiūs explicare al-
terius sit loci & temporis. In negotio esse
dixi illustrissimum principem & Electorem
nostrum, eoqué regio & ad iuuandos &
beneficio afficiendos mortales comparato.
Quem finem sic principi ob oculos posis-
tum esse debere, sapientes censuerunt, vt
non modo in puppi perpetuō sedentem,
manibus clavum reipubl. tenere, & ad sa-
lutis portum dirigere : sed & somno eum
profundiore ac perenni abstinere voluerint.
Sic enim est non solum apud principem
poetarum Græcorum, sed & AEschylum
in tragœdia de septem ad Thebas missis
ducibus. Hoc autem, vt paucis dicitur,
ita non æque facile absoluī nrac perficitur.
Nauckri certè officio per omnia principis
respondent partes. Ut enim ille non in-
sentina:

sentia otiosus sterit, neque quæ calonum
partes sunt, nauteam exhaerit : sed in pupa
pi sedens, quod vniuersorum saluti est, cu-
rat & agit : Ita princeps non in angulo vr-
bis aut casa humili latitans seruilia obit, quæ
per baiulum aliquem rectius expediat, mu-
nera, sed in regia, in curia, in solio more
Romanorum sedens de summa reipubl. &
singulorum commodis ac salute consilium
capit. Quemadmodum verò nauclerus
non est, qui vel artis ignarus, vel laboris
fugiens, in media tempestate cuius
remigum tradit gubernaculum : Ita
deßipientum iudicio principis personam
reuera non sustinet, qui alienistantum rem
publicam moderatur consilijs, & à dy-
nastis ac purpuratis suis pendet totus. Ut
non iniuria Alphonsus Arragonum rex, ab-
surdum esse dixerit, Reges ab alijs perpe-
tuo regi, duces ab alijs duci : contra & of-
ficium, naturam & dignitatem ipsorum.

Namque ut vt verum sit, principem non
nisi deliberato & communicato cum sapiē-

B. 3. tibus

cibus & fidis hominibus consilio agere, ma-
xime autem in arduis rebus non ^{aueror, rāpore} &
sui capit is esse debere; ita hoc quoque ne-
gari non potest, multis illum modis falli
posse, qui alienis semper oculis vtatur,
maxime si ducem improbum natus sit, &
quem fidum esse existimauerat, peruersissi-
mum inuenerit, & alia omnia potius,
quam utilitatem publicam spectantem.
Itaque sapientum quidem princeps vtetur
consilio, sed clauum tamen ac habenas im-
perijs ipse tenebit: hoc est, de summa rei
statuet, & quid factō sit opus, decernet.
Nec est quod quis eo pacto vel confundi o-
mnia, vel obrui principem existimet. Lice-
bit enim & omnino necessarium est, vt ali-
quam curarum partem in ministros &
consiliarios suos deriuet; quos vnde cunq;
potest, nulli neq; operæ neq; sumptui par-
cens, eruditos, intelligentes, iustos, patriæ as-
mant, fideles, & ab auaritia alienos con-
quiret: hos quidem vt à latere suo existētes
de ijs, quæ quotidie offeruntur, in medium
consulant

consulant, legationes obeant, ærarium pro-
curent, & reliqua pacis belliisque munera
exequantur: illos ut partium querelas &
disceptationes audiant, auditas cognoscat,
ius æquum omnibus tribuant, tegant bonos,
& sonies iusto afficiant suppicio. Quæ o-
mnia expedita magis erunt & procedent
rectius, si non solum iudicandis causis ipse
intersit, sed & præfectorum, quæstorum &
similium rationes & officia temporibus
statis, vel drepente quoque & nemine præ-
monito reuusat, inspiciat, examinet. Sic
enim in officio manebunt boni, & ab iniu-
sticia censuræ metu sibi temperabunt im-
probi: princeps suum consequetur, laxos se-
se non queretur subditi. Quin si quid omni-
no accidat, quod cognitionem animaduer-
sionemq; principis desideret, ad ipsum tan-
quam numen tutelare oppressi accurrent,
non minus certa auxiliij spe, quam salutari
vindiciarū ac liberationis euētu. Hinc n. an-
tiqui Iouë suū suauiss. illis appellationib. di-
gnabātur & non solū patrem mansuetū, deq;
suorum

suorum salute sollicitum, verum in ceteris
quoque ^{inxiosay} appellabant, qui supplicum
preces non superbè respueret: sed placidè
audiret, cognosceret & pro re nata etiam ef-
ficeret. Omnibus omnium certè petitio-
nibus locum relinquere princeps minime
debeat, neque cuiusquam ulterius indulge-
re precibus, quam veritas, legum, ac iuris
norma patiatur. Semper enim sibi subi-
ciet, & in omni vita ac negotio illud Ale-
xandri ^{απομημόνευμα} ob oculos positum habe-
bit, qui altera aure obturata, reo fese illam
vacuam reseruare dicebat. Qui namque
aliquid statuit parte inaudita altera, æquū
licet statuat, iniuste tamen facit. Qua in
re multos non dico iniustos (plerique enim
non malitia, sed quadam credendi facilita-
te peccant) sed paulò incautiores videre li-
ceat; qui quas partium querelas primas
audiunt, eas sic profundè in animum demit-
tunt, ut quod semel imbiberint, id lanæ ni-
græ instar nulla sibi ratione iterum elui pa-
tiantur: quo nomine Midam asini auribus
turpiter

djuulfos, vel postquam contentio intercesserat, statim coiisse fuerat utilius. Sed & præterita corrigere non licet, & sic fato, siue potius decreto in plectendis peccatis diuinorum vnius atque alterius hominis improbitatem ancillari videmus, ut deplorare ea facilius, quam consilio vel auertere, vel emendare valeamus. Nunc defunctum esse distractionibus istis, & reliquam tempestas illius nubem nouihuius solis exortu discussum iri sperabimus. Inuitabunt illus strissimum principem ad complectendum hunc ciuitatum Marchiæ ocellum, laudatissima, quæ dixi, maiorum vestigia, virtus propria, & in isto de mortalibus bene merendi studio à multis iam annis vñsu confirmata animi inductio. Quin benignitatis huius suæ radios Academiæ huic, etiam non rogatus & tanto procliuius affulgere patietur, quanto & ipse cultior est, & vim literarum magis intelligit. Conseruatrices enim illæ sunt pietatis, virtutum nutrices, mortuū magistræ, humanitatis vindices, feritatis

D hostes,

hostes, barbarie depultrices : quas qui Iu-
lianii Imp. exemplo, vitæ utiles ē medio
tollat, impius : qui nemini noxias premat,
sceleratus, qui bene merentes negligat, eas
que lenta quasi morte conficiat, cum erga
ipsas sit iniurius, tum posterorum saluti
pessimè consulat, Quid n̄ sine literis futura
vita sit ? certè non vita, sed colluuius potius
etra, barbaries, feritas, vastitas, rus merū.
Quod cum perspicerent magnanimi illi &
posteritatis memoria digniss. heroes IO-
achimus primus, & secundus Marchiones &
Electores Brandenburgici, nullis pepercere
curis, laboribus, sumptibus, alter in con-
dendo, alter in amplificando & ornando
illustri hoc Marchiæ Lyceo, cuius beneficij
summi & immortalis non modo conserva-
tor munificus fuit Illustrissimus & opti-
mus princeps & Elector, Dominus IO-
ANNES GEORGIVS, nus
per fatorum decreto patriæ suorumque
desiderio subtractus, sed & ^{quæ} studi-
osorum publica accessione noua auxit;

etiam

etiam

quæ

et medicinam postulabant, emendauit,
& pretiosum hoc ditionis suæ ^{καημάτων} vigili
semper oculo respexit. Neque tamen
non etiam sic emersere, quæ munifici euer-
getæ curam opemque desiderent, tam in
reficiendis sacris illis Musarum penetrali-
bus, quam excitanda præmijs docentium
industria. Qui etsi virtute officium me-
tiuntur, ut viros bonos decet, neque mera-
cenarium in hoc gerunt animum: tamen
ad alacritatem in obeundo munere augen-
dam non parum confert, si quæ cuiq; debe-
tur merces, eam & iusto tempore & non im-
minutam, sordidamue capiat: hoc præ-
sertim seculo, quo continua illa annonæ
difficultas etiam locupletis alicuius censum
facile exhauriat. Sed hæc principi literarū
amanti, vitæ perito, œconomiae non igna-
ro, & à multis iam annis priuatim & publice
omnia præclare administranti inculcare
nihil attinet: qui qua est erga Musas affe-
tione, vltro earū comodis consulat, re-
cordatus gratas & memores esse diuas,

D 2

quæ

quæ magnorum principum merita & præ-
clara facta in occulto esse non patiantur.
Hinc enim Alexandri illius Magni ab tot
seculis in Aristotelem, Anaxarchum & alios
etiam nunc vivit liberalitas? Hinc Ptole-
mai Philadelphi in literas amor: hinc Pom-
peij Magni in Cratippum & Possidonium
adhuc claret benignitas. Quid de Caio
Mario etiam illiterato, quid de L. Lucullo
dicam? quorum huius tantus cum doctis
vitus fuit, ut domus illius à philosophis quo-
tidie frequentata, prytanei nomen merue-
rit. Et quis nescit Augusti & Macenatis
in literatos amorem dextramq; liberalem.
T. Vespasiani vel ex Suetonio nota est in
bonarum artium doctores munificentia.
Prædicatur Imperator Adrianus, qui non
solum stipendia & frumentum annum, sed
& Cephaleniam insulam scholæ Athenien-
sium largitus sit. Quæ Alexander Seuerus
rhetoribus & philosophis salario constitue-
rit; quos honores ac munera M. Antoninus
Pius ijsdem decreuerit: Quanto item
Traianus

Traianus Plutarchum, Dionem Prusicum
in pretio habuerit, referre longum foret.
Neque nunc dicam de privilegiis & immu-
nitatibus à Constantino Magno, Friderico,
& alijs Imperatoribus nostro ordini con-
cessis: quod illa ipsa cum æterna illorum
prædicatione in omnium versantur manis-
bus. Quin omnes, quibus aliquid sani ce-
rebri est, vno ore fatentur, sine priuilegiis &
larga magnorum principum munificentia
frigere dissentium studia, multorumque
præclaros conatus ac labores, à principibus
neglectos, cum pessimo publico interci-
dere. Non enim audiendi sint Centauri isti
qui odio literarum, quarum tamen vim
ignorant, accensi, otiosum hoc, ut ipsi cen-
sent, vita genus contumelijs insectantur
& odio, non præmio dignum iudicant.
Otiosi namque non sint, qui rebus relictis
excolendo ingenio dies noctesq; occupan-
tur, & in eruenda è profundo veritate, &
explicandis doctrinis egregijs patrimoniu-
vires, vitamque impendunt, nihil pensi ha-

D 3 bentes

bentes dum discentium profectui & omniū
consulant commodo. Hoc enim qui
publico hic alimur stipendio nos agere par-
est, & in eo sumus hactenus serio, quo-
quot non vel valetudo, vel ætas ipsa retar-
dat. Priuatæ namque rei cura, otijue
suauitas neminem ab officij functione a-
uocare debeat. Non in os laudabo colle-
gas, neque mihi quidquam arroganter tri-
buam: hoc affirmare non dubitem, fide
optima & ordine recto doceri à nobis o-
nines bona doctrinæ partes. Non enim
triobolarem aut quatuor pagellarum sapi-
entiam, quæ inscitiæ fucū verius appelles,
auditorib. nostris vendimus, equo vereda-
rio vniuersum philosophiæ campū raptim
peruolitantes: sed quæ ab optimis quib. q;
magistris, labore vigili, longo tempore, sum-
ptibus maximis, in florentiss. Germaniæ,
Galliæ & Italiæ Academijs accepimus, quæ
assidua lectione auximus, meditatione ac-
curata limauimus, vsu ipso comprobaui-
mus, ea adolescentibus nostris fideliter &
assidue

assidue inculcamus, veritati magis, quam
vel nouitati, vel plausui tenerae ætatis stu-
dentes. Hunc enim qui spectet, sequa-
turue, cœcorum ille dux sit, ipsis nihilo ocu-
latoꝝ, & tam auditores, quam seipsum
sciens volensque frustretur. Divinorum
oraculorum mysteria docti & boni, ut
simpliciter de alienis ab omni fuso loquar,
nobis pandunt viri, assiduitate & fide
summa, fructuque hoc maiore, quo ipsi &
modestiores sunt & concordiae, quam in
multis Academij desideres, magis studio-
si. Dominari enim collegis nec ipsi vo-
lent, apud quos videlicet auctoritate tan-
tum pollent, quantum cupiunt. Cupi-
unt autem non ultra, quam par est. Neque
quisquam etiam ex infimis ita vili sit ani-
mo, sibiue sordeat, ut se ad cuiusquam
pedes seruiliter abijciat. Itaque huma-
nitate illi nobiscum, & inter se certant;
non odijs aut ambitione; utpote qua ma-
culam sint aspersuri doctrinæ, & aliena-
turi intelligentium à se se animos.

Iuris.

Iurisconsulti, quando non meri sunt legu-
leij, sed ab ineunte ætate in omnibus bonæ
doctrinæ partibus & cum primis politica
& historia probe versati, diserti etiam &
vitæ intelligentes, muneris sui partes cum
bono publico & priuato multorum, ipsius
quoq; Imperatoris, & principum quibus à
cōsilijs sunt, egregiè explent: & eā collegis
humanitatem præstant, quam ab viris eru-
ditis & modestis expectari & proficiisci par-
est. Asclepiadas & sanitatis nostræ vindis-
ces merito ipsorum colimus, qui & docen-
da & facienda medicina suo quisque loco
eos sese præstant, vt in erudienda iuuentute
illorum admiremur acumen, in facienda
arte experiamur successum. Reliquis bonæ
doctrinæ partibus, qui sese manciparunt,
perpetuam officij functionem meditantur,
& in æquabili ac quieto vitæ genere, sine
magnō quidem suo emolumento, sed certa
ramen animi tranquillitate perseverant;
periculo ac vicissitudinibus tanto minus
obnoxij, quanto ipsi mediocria magis se-
stantur,

stantur, neque ambiguo fortunæ se subiſſi-
ciunt arbitrio. Quorum tenuitati succurſo-
ri hoc est æquius, quo ipsi ab alijs vitæ
commodis magis deseruntur, & nulla in
officij partem negligunt. Sic enim hoc
ipsum quod faciunt, libentius faciant, ne-
que vel ob inopiam professionem suam
deserant, vel de alio vitæ genere, & loco
cogitent, aut etiam ad sordidam rei fami-
liaris procreationem ſe demittant. Qua-
qui occupetur, totus vacareMusis nequeat.
Serenum enim, & domesticis curis liberum
effe oportet animum, qui contemplation
sublimium doctrinarum occupari debeat.
His studiis vita quoque consentanea eft, vt
qui didicerimus, & doceamus ipfimē, fru-
ctum & animam literarum virtutem effe
& humanitatem: quas qui ex earum cultu
non auferat, nucleus ille bonæ doctrinæ
nondum gustauerit. Humaniter itaque
noſtra & bona & mala ferimus, vtq; colle-
gas ius eſt, mutuo nos amamus, iuuamus,
ſubleuamus. Quod ſi quid accidat, vt
E multa

multa in vita occurruunt, quod ab amicitia
& collegij iure alienum sit, id radices
agere non patimur, sed mature abolemus,
& discordias invidiam, suspiciones & simi-
les societatis humanæ pestes quam longis-
simè à nobis remouere studemus: quæ con-
nulla sunt sanamus, leuicula vel ferimus
vel ioco discutimus. Itaq; in congressibus
nostris nihil, nisi quod amicitiam, sermonis
libertatem, hilaritatem & animum frater-
num sapiat, animaduertere licet. Neq; ve-
ro alia nostra cum auditoribus nostris est
vivendi ratio: quibus et si nos viles familia-
ritate nimia non facimus, tamen de moro-
sitate etiam nostra illi minime omnium
querantur. Ad modestiam enim sobriam,
& officij cultum non imperio eos sanguino
compellimus, sed amice inuitamus, serio
hortamur, sedulo ducimus: quorum qui
priuatim nobis commissi sunt interdum
obiurgationes paternas, nonnunquam eti-
am salium elegantium auferant aculeos:
non eos dentatos quidem, sed qui tamen
acrimo-

acrimoniae aliquid habeant, benevolen-
tiæ temperatum succo. Quos qui scitè ac-
cipere norit, vitam bono suo emendent;
qui perire, quam seruari malint, eos vel
missos faciamus, vel si grauius delinquant
nulla emendationis spe proposita, cœlum
mutare iubeamus. Atq; ita disciplinam
haec tenus publicam tuemur, ad corrigendū
dum tamen semper, quam puniendum ma-
gis proclives. Paternum enim esse impe-
rium nostrum recordamur, paternos ani-
mos; qui nihil acerbum, nihil vindictæ cu-
pidum, præ se ferant aut spirent. Petulan-
tiam tamen, quam compertam habeamus,
non ferimus. Ineptias in habitu & sis-
miles, quæ non magni temporis lapsu
semetipsas confodiunt, ridemus potius,
quam ut morose eas prohibeamus: maxi-
mē in ijs qui alioquin probi sunt, & dili-
gentiæ nobis laude commendati; Si-
mul etiam illud considerantes ita à
natura comparatum esse, ut in vetus

E 2 Semper

semper nitamur, & non nemo reperiatur,
qui post interdictum demum in prohibitis
insanire incipiat; libertatis, ut illorum præ-
textus habet, amore; quæ tamen licentia
prauæ verius est cupiditas. Quo pertinet
illa toties & seuerè interdicta armorum
gestatio; quæ quamuis à Musarum castris
prorsus sit aliena, sic tamen placet bellicosis
Germanorum animis, ut grande se dede-
cus in se suosque admisissè putent, si gla-
dium lateri semel alligatum adimi sibi pa-
tiantur. Maxime vero qui nobili loco nati
sunt; hoc sibi privilegium deberi existi-
mant; quorum qui per ætatem sedatores
sunt, sibi metipsis legem ferant, & quo ad in
aulas vel castra venerint, hac sibi εὐφορεῖα in-
terdicant; qui calidiores inuenta ante an-
nos sese gladijs alligant, risui se cordatioris
bus exponant, sape etiam periculo, quando
temere alios adoriantur & laceantur.
Longius oratione prouehor, quam con-
stitueram: non quod οἰνοτολογία tantopere
delecter, sed vt ostenderem, quantum pa-
tria bonum in Academia hac, de qua tas-
men

men nihil aliud quam quod res est, dixi,
positum habeat, deque illo non solum Illus-
trissimo principi & Electori gratuler, id
quod vere & ex animo facio; sed & ita eam
commendarem, vt tanquam pretiosissi-
mum thesaurum omni ope ornandam tu-
endamque existimet. Id quod liberaliter
faciet, libenterq; & secunda omnium ordi-
num voluntate. Nec enim hac ætate ita
a Musis abhorrent viri nobiles, alijque in
urbibus fortunati, vt auorum nostrorum
memoria, cum armis & dextræ ius sibi po-
tentiores dicebant, prorsus vt Varro ele-
ganter olim cecinit:

*Qui pote plus, urget: pisces ut sape
minutos,*

*Magnu³ comest, & aueis eni-
cat accipiter:*

literas verò corruptelæ loco habebant.
Mittunt namque hodie in Academiam li-
beros suos viri nobiles, vt exultis doctrina
animis, moribusque ratione formatis, ad

E 3 res

res pace belloq; gerendas eo instructiores
postea veniant. Neq; alio in educatione
suorum ciues ipsi spectant, quorum qui in-
tra mœnia hanc suos informandi habent
copiam, næ illi, si tantum hoc bonum su-
um agnoscant, & non pedibus vltro con-
culcent, præ alijs fortunati, felicesq; sunt,
& consentienti omnium sanorum haben-
tur iudicio. Non enim hospitum tantum
concursu frequentatur & illustratur ciuitas
sed & ædificia & ipsa vrbis facies sensim fit
nitidior, commodumq; ex Miliarum præ-
sentia capiunt ciues & opifex omnis ge-
neris. Immo, quod dicere intendéram,
etiam pauperculi homines liberos suos sine
magna sua impensa in possessione sapiétiæ
& fastigium dignitatis perducere possunt:
quorum deinde gloria non modo illustran-
tur parentes ipsi, sed & ornatur patria, &
posteris nouum quasi nobilitatis accendi-
tur lumen. Geminæ enim sunt quæ ad hanc
nos subleuant alæ, ingenij nimirum cultus,
& rei militaris gloria. Cetera vitæ munia-
hisce

hise ancillantur & parent omnia: non
iūcīco contemnenda tamen, sed suo loco
& vtilia & necessaria. Etenim quæ vſus
vitæ postulat, ipſemē ſibi parare nemo
poſſit, quantumuis ille vel ingenio præſteret,
vel opibus abundet. Itaq; ^{etiam} illa & admis-
niculorum variorum indigentia, quemad-
modum in politicis Aristoteles tradit, uni-
cum est & perpetuum societatis humanæ
vinculum: quod qui vel labefactet vel tol-
lere penitus ſtudeat, idem ſumma imis-
mifcens totam mundi compagem ſoluere
& antiquum illud chaos reducere videatur.
Ex quo non difficultates modo ſummas, ſed
& clades, & conuulfiones omnium ordi-
uum maximas oborire neceſſe fit. Nec
enim quantumuis præclara virtus aut do-
ctrina etiā de Philosophi ſentētia ſibimet ip-
ſi ſufficiat, ſi ab externis illis deferratur bonis,
neq; ſint qni instrumenta illa vitæ ſuppedi-
tent. Ut ut enim quis abfq; his vitā tolerari
poſſe contendat, & Cynicum nobis Dioge-
nē omnibus vitæ commodiſ, noua quadam
super,

superbia renunciantem, obducat, idem fastatur necesse est, commodè & iucundè absque his viui neutiquam posse. Vnde namque, si vrbe institor es ejicias, si opificia tollas, si mercaturam prohibeas aut minus as, necessariarum rerum tibi suppetet copia? quis prædiorum tuorum fructus, & quæ tuo usui supersunt alio vel transferet, vel quorum tu egeas, importabit? Harmonia vita hæc mera est, certis varijsque distincta & concinnata classibus: quarum vel si vnam conuellas, vniuersam ruere ac dissonare necesse est. Quod cum præclare intelligeret Imperator THEOPHILVS, memorabili iudicium hoc suum ad posteritatem transmisit facto. Etenim cum aliquando Constantinopolin appulisset nauis oneraria, mercibus apprime onusta, Imperator ex arce prospiciens, cuius ea esset per puerum exquisiuit. Postquam verò Augustæ vxoris suæ esse intellexit, res cens è Syria aduectam, nautas quidquid in nauc sarcinarum suarum haberent, subito efferre

efferre iussit, reliquarum mercium, quæ
ad Augustam spectarent, nihil prorsus mo-
ueri. Quo facto ignem naui iniisci, eamq;
cum mercibus concremari curauit, Impe-
ratricē seuera insuper oratione increpans.
Cum enim inquit me Deus Imperatorem
constituerit, tu me nauclerum reddere labo-
ras. Scito autem mercaturam priuatis ho-
minibus esse concessam, ut eam tolerandæ
vitæ occasionem habeant. Quod si nos
præter imperij opes, etiā mercaturæ emo-
lumenta interceperimus, unde nam subditi
victū sibi comprabāt. Hæc de illo Zonaras.
Quod si similiter sua quisq; agnoscamus bo-
na, ijsq; contenti falce non in alienam mit-
tam⁹ messem, publica minus laborarent, &
singulorum stabilitæ copiæ nullum invidiæ
locum facerent reliquum, nullum querelæ.
Sed ut suauissimæ huius harmoniæ sensus
in populum, & quotquot etiam è fortuna-
tioribus plebeios animos gerunt, non cadit;
ita eius pulchritudinem princeps & Elector
noster clementissimus intelligit, eam fo-

F uebi

uebit, conseruabit & sicubi quid luxatum
collapsumq; est, restituet. Hoc enim est
cum Hercule aprum Erymantheum om-
nia conculcantem sternere, hoc est leonem
vastatorem domare, hoc monstra noxia
tollere, & renascentia hydræ capita refeca-
re. In quadrupedes bestias pugna leuior,
quarum ferocissimas quoq; vel puer plum-
beo steinat globulo, vel lacertosus aliquis
acuto excipiat venabulo. Humana tectas
pelle nec agnoscere cuius facile est, nec
adoriri tutum. **Quis enim dignitate & po-**
tentia armatos proceres officij sine periculo
admoneat, quis alios pecuniarū & prædio-
rum vultures interpellat, quis, si vel sorte
usuris cumulent, vel quod alij debitum ne-
gauerant, minimo redemptum sibi de pub-
lico soluant, iniuste dicat agitis? maxime
cum non desint, qui aucupia eiusmodi &
vulpeculæ artes politicam interpretentur
prudentiam. Quasi vero politicum, versis
pellem & iniustum, non virum bonum &
ab omni auaritia alienum esse oporteat.

Sed

Sed uti confeſtari illos animus non est, ita di-
gitum cuiuis patriæ amanti intendere in bo-
num publicum, opinor liceat: Cui cum ado-
lescentia tua Elec̄t, illustriss. dedita, ætas
confirmator affueta, vita tota ita occupata
fuerit, ut non solum omniā in Germania lau-
entum in te oculos conuerteris: Sed & Alpes
virtutis tuæ fama transcenderit, quid mirū
si optima quæq; de se sibi patria promittat.
Cui enim ignotum est, quantis laudibus in
virtutis ac doctrinæ stadio currenrem iam
olim extulerint doctorum huius seculi co-
ryphæi & bonæ doctrinæ assertores optimi,
Ienex ille emeritus & nobilissimus PETRVS
VICTORIVS Florentinus, & eruditione,
virtute & meritis in rem publ. non minor
IOANNES CASELIVS, præceptor meus
multis mihi nominibus colendus. Versan-
tur sane acclamations illæ publicæ, & epi-
stolæ utriusq; ad Celsit, tuam aureæ in eru-
ditorum omnium manibus, nec nisi cum
orbe ipso obliterabuntur unquam. Quæ
cum ita sint princeps & Elector illustrissime,
iamq;

iamq; in eo totus sis, ut quod vitæ reliquū
est (diuturnum autem id esse precamur se-
rio) id omne patriæ laborantis imperias
commodis, nullæ hic meæ partes sunt aliæ,
quā ut, quod facere intenderā, Marchiæ de
hoc, nouo sapiente & benignissimo guber-
natore gratuler, Celsitu· verotuæ de imperio
ipso. Quod ut salua religione, salua republi-
ca, salua Celsit, tua inclyta, salua illustrissi-
ma domo Brandenburgica, heroū præstantiū
procreatrice diu stabile, quietum, & bonis
omnib⁹ affluentissimū sit ita ex animo opto
ut ciuem patriæ amantem, principis sine
fuco obseruantem, eiusdemq; voluntati
subiectissimum facere par est; toto pectore
comprecatus, ut quod sincero affectu vo-
tum concepi, ratū firmumq; velit, faciatq;
qui supra nos negotium curat, imperiorum
omnium auctor assertorq; D E V S, ut boni-
tate largus, ita sapientia perfectus, trinus
& unus, potens super omnes, & ante
& supra omnia existens fu-
turusq; sæcula.



153456

ULB Halle
002 677 407

3



VD 77

Communione. **S**icut omnes. **C**ommunicantes et noctem noster dicimus
natus sumus celebrantes. quia beatificis
in integrata virginitas. huic mundi
saluatori. **S**ed et memoriā ueneramus
eius gloriosam semper virum misericordiam
cuiusdam dei. et domini nostri ihesu christi. **S**ed et ad
torum apostolorum tuorum. **I**n eisdem ieronimi
Communicantes. et dicimus sacraissimum celebra-
mus. quo uirginus tuus in tua tenere gloria.
nus in ueritate carnis nostre visibiliter caro
apparuit. **S**ed et memoriā **I**n eisdem ieronimi
Communicantes et dicimus sacraissimum celebra-
mus. quo dominus noster ihesu christus pio uobis est
Sed et memoriam. **E**piscopis igit oblatum

Farbkarte #13

B.I.G.

B.I.G.



g.

AD ILLVSTRISSIMVM POTEN-
tissimumq; Principem ac Dominum

**DN. IOACHIMVM
FRIDERICVM**

MARCHIONEM BRANDEBVRGENSEM S. IMP.
R. Archicamerarium & Electorem, Borussie, Stetensium, Pomera-
norum, Cassubiorum, Vandalorum & Crostie in Silesia Ducem,
Burggrauim Norinbergensem, Principem Rugie
& Dominum suum clementissimum,

FRANCOFVRTVM

*Ingredientem, ut solenni more fidelitatis
juramento sibi ciues obstringeret,*

GRATVLATIO

**Balthas. Caminæi I. V. D.
& Prof. P. P.**

M. D.



XCVIII.

Excudebat Fridericus Hartmannus typographus & bibliopolis.

